



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XXXIV. Vtrum Prædestinatio sit libera Deo, atque ipsi prædestinato, &
concordia inter vtramque libertatem nitatur scientia media?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

ad 1. & ab aliis communiter idea specialis malorum; tum, vt exemplar, quia mala non sunt proprie effectibilia secundum se formaliter, præsertim respectu Dei; tum, vt ratio speculatiua, quia mala non cognoscuntur per propriam rationem, sed per rationem boni oppositi, vt dictum est supra quæst. 10. cum eodem D. Thoma.



QVÆSTIO XXXIV.

Vtrum prædestinatio sit libera Deo, atque ipsi prædestinato, & concordia inter utramque libertatem nitatur scientiâ media?

IDEVR prædestinationem, neque Deo esse liberam, neque prædestinato; neque vtriusque libertatem, aut per scientiam mediam componi inuicem posse, aut sine ipsa non posse. 1. Quia Deus, vt dicit Aug. tom. 4. lib. 2. ad Simplicianum quæst. 2. ad med. conqueritur sæpè in scripturis de duritie hominum resistentium gratiæ suæ, & obstruentium vias salutis propriæ, atque frustrantium intentionem, summoque conatus Diuinos circa innocentiam, & gloriam reprobos. Quam in rem, inter alia, videri multa possunt apud Iaiam toto c. 5. & apud eundem c. 48. 4. dicitur ex persona Christi Domini: *In vacuum laboravi; sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi*; id est, omnes vires meas impendi, & præstiti, quantum non solum debui, sed & potui. Nemo autem conqueri de alio, ita potest euentu non sequuto, qui vt sequeretur, liberum sibi inimpedibiliter erat. Ergo nostra salus, atque prædestinatio non est omnino libera Deo.

2. Si esset perfectè liberum Deo prædestinare quemlibet pro libito ad gloriam, etiam vt coronam, & consequenter dare cuiuslibet indiscriminatim innocentiam, vel poenitentiam finalem, & finalem perseuerantiam in gratia; posset vtique pro quolibet ista decernere decreto simpliciter antecedenti, atque omnino inimpedibili per libertatem humanam. Quia, quod est alicui secundum se præcisè considerato perfectè liberum, potest ab eodem secundum se præcisè considerato determinari pro libito in vtriuslibet partem; inconsulta cuiuslibet alterius libertate, & electione. Sequela autem est absurda. Quia decretum Deide aliquo effectu simpliciter antecedens, est, necessitas simpliciter antecedens eiudem effectus, ac proinde aufert libertatem hominis ad eundem effectum. Quæ tamen libertas est de conceptu gloriæ, vt coronæ, necnon innocentie, poenitentiae, & perseuerantiæ merentis eam coronam. Ergo non est Deo liberum prædestinare quemlibet pro libito.

3. Solus Deus est, qui discernit iustum, & prædestinatum à peccatore, & reprobo. Nec dici potest, quod hæc discretio attribuatür etiam homini, & non soli Deo. Contradicit enim huic assertioni Apostolus ad Corinth. 47. increpans arrogantiam humanam, & erudiens Christianam humilitatem, dum sic virget superbientem. *Quis te discernit, quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Quod etiam pertinet ponderatio Augustini c. 32. Enchir. ad Laur. & l. 1. ad Simplic. q. 2. longè autè finem, obseruantis utrobique non ita dici; *non est volentis, neque currentis,*

sed Dei miserentis: Vt dici similiter possit: *Non est Dei miserentis, sed hominis currentis, & volentis.* Eodem pertinet illud quoque celebre Cypriani vsque adeò decantatum ab Augustino in l. de prædest. sanct. *In nullo gloriandum, quando totum est Dei.* Contradiciunt, inquam, hæc ei assertioni, quia vnicuique attribuitur, & est proprium vniuscuiusque quod sibi liberum est, & si id sit landabile, ac gloriosum, est materia gloriæ, & laudis, respectu eiudem. Ergo non est libera homini sua, vel iustificatio, vel prædestinatio, seu differentia aliqua sui à peccatore, & reprobo.

4. Non datur actio in præteritum; nec fieri potest, vt præteritum pendeat à futuro, ex. gr. victoria Alexandri, à robore exercitus nunc existentis, atque pugnantis heroicè. Prædestinatio autem hominis est æterna; sicut, & reprobatio: Homo verò, & eius operatio incipit in tempore. Vnde tam reprobatio, quam prædestinatio, comparatione hominis, & operationis humanæ, est plusquam præterita; cum antecedit pro omni anteriori differentia temporis in infinitum. Vniuscuique autem potest actione sua in id, quod est sibi liberum, atque hoc pendet ab eius electione. Ergo non est homini libera sua, vel prædestinatio, vel reprobatio.

5. Quod est liberum alicui, est impedibile ab eodem, idemque est eatenus inimpedibilis ab alio. Homo autem non potest impedire Deum, quominus ipsum prædestinet, vel reprobet, aut quominus prædestinatio, & reprobatio exequantur, quod intendunt. Nam, vt dicit Aug. c. 14. de correptione & gratia: *Volenti saluum facere, nullum hominis resistit arbitrium.* Ergo non est libera homini sua, vel prædestinatio, vel reprobatio. Certè, non potest esse libera Deo simul, & homini. Quia sequeretur vtriusvis eatenus esse impedibilem, simulque inimpedibilem ab altero.

6. Causa prima præexistente determinata ad vnam partem, & non exhibente concursum, & cooperationem, quantum est ex se, indifferentem ad vtriusvis partem contradictionis, vel contrarietatis, repugnat, vt causa secunda operetur nihilominus liberè, ac indifferenter. Deus autem, qui est causa omnium prima, ex vi decreti prædestinantis, præexistit determinatus ad operationes salutares, & ad vitiationem peccatorum prædestinati. Vtrasque enim prædefinit efficaciter, & determinatè per decretum prædestinatum, vt supra dictum est. Ergo posita prædestinatione nulla superest indifferentia prædestinato; quia nulla superest indifferentia Deo ad concurrendum, vel non concurrendum, vtque concurrat ad hoc, vel illud indiscriminatim. Neque vero scientia media quidquam inuat in oppositum: Quia causa secunda etiam pro statu conditionato, subest conditionatè eidem decreto prædefinitiuo Dei. Nempe dependentia, quæ est essentialis vni causæ respectu alterius, qualis est dependentia omnis causæ secundæ à causa prima, quoad omnem suam operationem, pro nullo statu deesse potest; nec fieri potest, vt prævideatur aliquo modo operatio aliqua, quin simul prævideatur eodem modo omnis causa, & omnis applicatio causæ, à qua essentialiter dependet, præsertim si prævisio sit comprehensiuæ, qualis est omnis prævisio Dei.

7. Neque prædestinatus potest damnari, neque reprobis saluari. Quia neque præscientia Dei potest reddi falsa, neque frustrari potest prædefinitio, ac præordinatio efficax eius, & vtrique est de conceptu prædestinationis, ac reprobationis. Ergo neque prædestinatus est liber, vt damnetur, neque reprobis, vt saluetur, sed vterque fatali necessitate deuoluitur ad finem sibi æterna, ac immutabili Dei lege præfixum.

Confirmatur.

Confirmatur, & explicatur vis argumenti. Quia sicut damnatio actualis prædestinati est actualis falsificatio præscientiæ Divinæ, & actualis frustratio voluntatis Divinæ prædestinatiæ: Ita possibilitas illius est possibilitas utriusque huius. Nempè vnumquodque constituitur possibile per possibilitatem, eius prædicati, per cuius actualitatem, & existentiam constituitur existens, & actualis, & quorum, existentia, atque actualitas est inseparabilis mutuo, aut realiter eadem; possibilitas quoque eorundem est inseparabilis mutuo, aut realiter eadem. Prædicata namque quidditatiua rei possibili, & existentis, sunt omnia prorsus eadem; nec constitutum adæquatum cuiusque rei est diversum pro diversitate status; sed constitutum, & constitutum pro quoniam statu sunt simul, eodemque modo. Ergo si quidem actualis damnatio prædestinati foret falsificatio, & frustratio scientiæ, & voluntatis Divinæ prædestinatiæ, possibilitas quoque damnationis, contenta formaliter in potestate libera ad damnationem, foret possibilitas eiusdem falsificationis, & frustrationis. Quam tamen possibilitatem patet esse chymericam.

8. Fieri non potest, ut quod heri erat verum, hodie sit falsum, aut, ut aliquid secus accidat, quam futurum prius erat, ut accideret. Impossibile igitur est, ut hodie fiat oppositum eius, quod heri erat, & verum, & futurum pro hodie. Scientia autem Dei, quæ est de conceptu prædestinationis eius, & est essentialiter vera, complectitur omnia, quæ sunt pro qualibet differentia temporis, & quatenus coexistens temporis antecedenti denominat futurum, quidquid existit pro tempore sequenti. Quapropter heri erat verum, & infallibiliter futurum, quidquid evenit hodie. Ergo hodie, & sic de cæteris differentiis temporis, nulla est potentia ad oppositum eius, quod hodie fit, idest, nulla datur hodie potentia libera.

9. De reprobo specialiter dicitur Ecclesiastæ 7. 14. *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ipse despexerit*, idest, reprobaverit. Ergo reprobatus à Deo non est liber, ut corrigatur, ac emendetur.

10. Deus potest determinate, & exequi, independentem à scientia media, quidquid absolute determinabile, & exequibile est ab ipso. Quia per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscuntur omnia, & singula possibilia, & quidem comprehensivè, eademque omnia continentur adæquatè in omnipotentia, & actiuitate Dei secundum se, Deo autem eadem determinante, ac exequente eadem, necesse est, ut nobis adsit, vel desit indifferentia libertatis. Quia additamentum scientiæ mediæ non immutat naturas rerum, nec facere potest, ut quæ collata, ac posita à parte rei, independentem ab ipsa, non sufficerent ad constituendam adæquatè potentiam proximam electivam, ac indifferentem, sufficiant ad hoc ipsum propter dependentiam ab eadem: sicut fieri non potest, ut sit proximè combustivum propter dependentiam ab aliqua cognitione, quod non est tale ex se, & independentem à tali cognitione; si quidem independentem ab eadem poni possit à parte rei. Ergo scientia mediæ nihil facit pro indemnitate nostræ libertatis, atque pro eiusdem concordia cum scientia visionis, prædestinatione, & reprobatione Divina.

Art. 1. Respondetur. Manifestum est convenire Deo libertatem perfectam prædestinandi, ac perducendi quemlibet, siue hominem, siue Angelum ad gloriam, ut puram hereditatem, independentem à meritis prædestinati, seu sublata prædestinato libertate merendi, ac demerendi. Nec est minus manife-

stum, liberum eidem esse neminem, aut prædestinare, aut reprobare; cum habeat in potestate neminem creare. Sed certum insuper est, inesse etiam Deo plenam potestatem, & libertatem perfectam, ut prædestinet, vel non prædestinet; deducat, vel non deducat quemlibet ad gloriam, ut coronam, retenta nostra libertate, ac indifferentia non solum ad actus bonos inæquales, ac proinde meritorios gloriæ, saltem quoad augmentum; verum etiam ad peccandum lethaliter, & ad omittendam omnino poenitentiam, idest, retenta libertate, qualis de facto fuit in Angelis, & qualis & est, & fuit in hominibus subsistentibus providentiæ ordinariæ Dei. Apparet clarè hæc veritas ex testimoniis supra indicatis quæst. 18. art. 7. circa scientiam mediæ: *Cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat. An non habet potestatem figuli lutum, &c. Ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius.* Adde illud ex Epist. ad Rom. 14. 4. *Potens est enim Deus statuere illum.* 2. ad Corinth. 9. 8. *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis;* ac proinde, & vitam æternam, quæ etiam est gratia Dei. Matthæi 3. 9. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare Filios Abrahæ,* idest, flectere, ac trahere ad iustitiam obduratissimos quosque, & pessimè dispositos ex se. Eodem pertinet, quod dicitur Proverb. 21. 1. *Cor Regis,* idest, hominis plurimum sibi indulgentis, & difficillimi, qui ad nutum alterius operetur. *Cor,* inquit, *Regis in manu Domini. Quocumque voluerit, vertet illud.* Ac demum in fine Epistolæ Canonice Iudæ dicitur. *Potens est vos conservare sine peccato, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos.* Quæ, & similia complura nulla indigent expositione pro scopo proposito.

Art. 2. Ratio fundamentalis proxima est, quam indicat D. Thomas de verit. quæst. 6. art. 3. c. fine. Quia videlicet, ex vna parte, inest Deo potestas permouendi voluntatem creatam ad actus meritorios vitæ æternæ, atque ad actum perfectionis finalis in gratia, modis syncategorematicè infinitis, atque augendi, & accumulandi sine fine auxilia gratiæ, & adminicula varia allicentia, ac pertrahentia ad eundem finem. Ex alia verò parte, potentia creata resistendi gratiæ, & motionibus Divinis est intrinsecè finita, ac limitata. Repugnat autem Methaphysicè, ut potentia intrinsecè finita, ac limitata, vniiformi resistendi pertinacia superet totam collectionem motionum innumerabiliter multiplicium, & capacium intentionis maioris, & maioris sine fine. Necesse nimirum est, ut finitum tandem aliquando succumbat infinito; utque exhaustiatur potentia finita resistendi, qualis est omnis creata, nondum exhausta potentia infinita permouendi, qualis est potentia Divina, etiam, intra limites potentiæ mouentis per auxilia, quorum nullum, & quorum nulla collectio tollat indifferentiam arbitrij. Repugnat igitur metaphysicè, ut in toto cumulo auxiliorum gratiæ Dei non appareat aliquod, respectu cuiusvis substantiæ rationalis creatæ, cui secundum se, vel adiunctis aliis adminiculis futurum sit, ut ipsa consentiat de facto, & consentiat libere. Sic enim velle, & nolle, in volentis, & nolentis, est potestate inquit Augustinus capite 14. de correptione. & gratia, *ut diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem,* & libere 1. ad Simplicianum quæst. 2. ad medium: *Cum deserit non sic vocando, quomodo ad fidem moueri potest, quis etiam dicat, modum, quo ei persuaderetur, Omnipotenti defuisse;* idest, potenti persuadere infinitis modis, & in infinitum. Quo etiam pertinet illud ex cap. 14. de Corrupt. & Gratia: *Quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit.* Cuius rationem reddit ad medium capitis, *Habens humanorum cordium* quod

quod placuerit, inclinandum omnipotentissimam potestatem. Et c. 95. Enchir. ad Laurentium, propè medium: Cui prouidubio quam facile est, quod vult facere, tam facile est, quod non vult, esse non sinere. Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum nostra fidei confessionis initium, nempe: Credo in Deum Patrem Omnipotentem. Demum ibidem c. 98. initio, merito exclamat. Quis porro tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas volueris, quando volueris, & ubi volueris, in bonum non posse convertere? Est igitur liberum Deo, tot cuilibet, & quodlibet adminicula preparare, ut vel non cadat, vel si ceciderit, resurgat, & sic perducatur in vitam æternam, quibus ferè verbis concludit D. Thomas art. illum tertium: Ea autem preparatio, est prædestinatio, ut patet ex eius definitione. Ergo prædestinatio est libera Deo, respectu cuiusvis.

Art. 3. Certum nihilominus rursus est, vnicuique esse aliquatenus liberam suam, & prædestinationem, & reprobationem, ut apparet ex 15. Ecclesiastici 17. Apposuit tibi ignem, & aquam, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, quod placuerit ei, dabitur illi. Eodem pertinet, quod dicitur 2. Petri 10. Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. Quod ferè idem exprimit vulgare proloquium Theologis omnibus familiare, & attributum communiter Augustino cum sufficienti fundamento ex hypognoticon l. 6. sine: Si non es prædestinatus, fac, ut prædestineris.

Art. 4. Ratio est. Quia, cui est liberum aliquid, non potest non esse aliquatenus liberum, quod est mutuo connexum intrinsecè cum illo. Cui enim est liberum antecedens, est liberum & consequens: sicut & conuerso, cui est liberum consequens, est liberum & antecedens. Quod sanè principium nulla indiget probatione apud hominem sani cerebri, nec est capax tergiversationis apud sincerum veritatis amatorem. Prædestinato autem, & Reprobo est liberum peccare, & non peccare, facere, & omittere opera meritoria vitæ æternæ, implere, & non implere legem: esse, & non esse impoenitentem finaliter. Quod est certum ex fide. Dictum autem est suprà q. 31. art. 2. Peccata, & opera meritoria vitæ æternæ, esse mutuo connexa intrinsecè cum confectione, & amissione vitæ æternæ, idest, prædestinatione, & reprobatione. Est igitur aliquatenus liberum prædestinato, & reprobo, ut prædestinetur, & non prædestinetur, reprobetur & non reprobetur. Accedit, reprobo imputari suam reprobationem, ut patet ex illo Osee paulò prius memorato, Perditio tua ex te. Nemini autem imputatur, quod non est sibi liberum. Et rursus nequit esse homini libera sua reprobatio, quin aliquatenus sit eidem libera sua etiam prædestinatio. Quia nequit alicui esse liberum alterum ex duobus extremis, inter quæ non est dare medium, idest, quorum neutrum vitari potest, nisi per positionem alterius, quin, & alterum sit aliquatenus liberum, eisdem. Eiusmodi autem extrema sunt prædestinatio, & reprobatio, amissio, & consequutio vitæ æternæ, ut patet. Patet igitur prædestinationem, & reprobationem esse liberam, cum Deo, tum etiam aliquatenus prædestinato ipsi, & reprobo.

Art. 5. Concordia inter utramque istam libertatem pendet à concordia vniuersæ libertatis quoad operationes nostras meritorias, & demeritorias vitæ æternæ. Quia nulla nobis inest libertas immediata ad positionem, & impeditionem gloriæ, quæ, videlicet, sunt actiones pertinentes immediate ad solam electionem, & actionem liberam Diuinam. Tota igitur libertas nostra circa positionem, & impeditionem gloriæ, & circa æternam existentem in Deo prædestina-

tionem, & reprobationem, reducitur ad libertatem immediatam circa opera bona, & mala; solaque proinde exponenda est concordia huius libertatis, cum Diuina libertate circa eadem opera bona, & mala. Concordia ista est valde difficilis explicatu, ut apparet ex rationibus dubitandi, & ex eo præcipue, quod, ex vna parte, voluntas Dei in eo, quod est sibi liberum, præcedit omnem aliam voluntatem. Quia Deus est causa vniuersaliter, & in omni genere prima, & subordinans sibi omnes alias causas secundum omnem rationem, ac proinde est etiam primum liberum, & primum eligens subordinans sibi omne aliud principium electionum, & liberum, quoad omnem rationem electionis, & libertatis. Ex alia verò parte hoc est essentiale Diuinæ voluntati, ut eius decretis resisti nullatenus possit, ut habetur 9. ad Rom. 19. Voluntati eius quis resistit? Esther. 13. 9. In diuine tue cuncta sunt posita, & non est, qui possit tue resistere voluntati. Isaia 14. 27. Dominus exercituum decreuit: & quis poterit infirmare?

Art. 6. Antecedentia autem Diuinæ voluntatis, quatenus præligentis nostram electionem, coniuncta cum eiusdem infallibilitate, & irresistibilitate, videtur omnem intercludere aditum indifferentiæ nostræ, quoad electionem nostram deinde subsequenter. Quia quatenus electio Diuina antecedit omnem nostram electionem, omnemque nostrum conatum, est inuitabilis prorsus, ac inimpedibilis à nobis. Quatenus verò efficacia eiusdem diuinæ præelectionis est insuperabilis, ac irresistibilis, nullam ex suppositione sui, seu in sensu composito sui, relinquit indifferentiam vltiorem, respectu effectus præintenti, qui est operatio nostra, & nostra electio. Quapropter hæc in primis propositio conditionalis: Si Deus efficaciter vult voluntate beneplaciti, ut nos operemur, operabimur: est sempiterna, & necessaria veritatis, propter dictam irresistibilitatem, ac infallibilitatem Diuinæ voluntatis. Deinde, propter antecessionem eiusdem diuinæ voluntatis, & præelectionis, conditio, quod Deus velit, est necessaria, & inuitabilis respectu nostri, nec est impedibilis vlla nostra electione, & conatu. Quia prius per posterius impediri, non potest. Itaque neque conditionatum, ex suppositione conditionis, nec suppositio ipsius conditionis, siue quoddam supponatur, & detur à parte rei conditio, subest nostræ libertati, ac electioni indifferenti ad utramque partem. Nulla igitur absolute indifferentia nobis relinquitur.

Art. 7. Nonnulli putant ex efficacia infallibili, ac insuperabili diuinæ voluntatis inferri potius incolumitatem nostræ libertatis, & perfectam indifferentiam nostræ electionis in tempore faciendæ. Quia Deus efficaciter vult nostram operationem, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum congruentem naturæ; idest, quoad libertatem, ac indifferentiam, quæ est homini connaturalis. Deus enim non vult invertere naturas rerum, sed fouere, ac perficere, nec aliud velle potest, ut apparet ex quaest. 28. Quia igitur Deus simul vult efficaciter, ut operemur, & eliciamus talem determinatè actum, utque operemur, & eliciamus indifferenter, & liberè: sequitur non solum nos operaturos, ac elicturos esse infallibiliter talem determinatè actum, sed etiam operaturos, ac elicturos esse cum perfecta libertate, ac indifferentia, quantum fert natura nostra, atque experientia, & ratio persuadet. Ista proposita difficultatis solutio assumit quidem verissimum principium; sed quod, nisi vltius promoueatur, satisfacere intellectui nequaquam potest. Verissimum namque est, Deo volente aliquem effectum cum modo aliquo determinato, subsequi deinde, cum æquali infallibilitate,

biliter, substantiam talis effectus, & modum illum determinatum ipsi à Deo præfixum. Sed non minus verum, ac manifestum est, volente Deo simul substantiam, & modum determinatum alicuius effectus, debere adhibere causas ad vtrumque simul idoneas. Nec enim in consortio cuiuslibet indiscriminatum causæ, potest inducere quemlibet indiscriminatum effectum, & quemlibet illius modum.

Art. 8. Quapropter, vt Deus velit inducere, cum causa secunda, calorem, eumque intensum, non potest ad id adhibere glaciem, vel etiam aquam tepidam; aut ignem, ad producendum frigus; nec ad visionem potest vti potentia auditiva, vel etiam visiva cæcipienti, ad visionem claram; & sic de aliis causis intrinsicè necessariis. Sed neque voluntas nostra, quæ ex se præcisè est indifferens, vt liberè, vel necessariò operetur, potest adhiberi, vel ad amorem Dei absolutè liberum, quatenus prædicta visione beata, vel ad amorem necessarium, quatenus prædicta cognitione Dei abstractiva, & intrinsicè indifferenti. Vnde esset manifesta implicatio, quod Deo volente substantiam eius amoris simul cum modo libertatis humanæ, adiungeretur voluntati visio beata; aut quod adiungeretur eidem cognitio indifferens, Deo præintendente eandem substantiam cum modo necessitatis. Non igitur sufficit, pro re præsentī, dicere, quod Deus velit substantiam nostri actus simul cum modo libertatis; sed necesse insuper est explicare, quamnam adhibeat ex parte causæ secundæ, vt hæc retineat in suo actu modum illum, eumque coniungat cum modo alio infallibilitatis, qui conuenit eidem actui, prout subest voluntati diuinæ ipsum intendenti efficaciter, & determinatè. Dum enim hoc non manifestatur, manifestum esse minimè poterit, non simpliciter voluntatem diuinam intentionem nostri actus, quoad substantiam, cum modo contingentia, & cum modo infallibilitatis simul, vt apparet consideranti exempla proposita.

Art. 9. Hac de causa D. Thomas q. 19. art. 8. vt reducat contingentiam, & defectibilitatem nostrorum actuum, ad infallibilitatem, seu infrutabilitatem diuinæ voluntatis volentis simul substantiam eorum, & modum libertatis, distinguit, & subiungit in hunc modum: *Et ideo quibusdam effectibus aptant causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt. Quibusdam autem aptant causas contingentes, & defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniunt.* Et rursus: *Quia Deus voluit eos (effectus causæ proximæ contingentis) contingenter evenire, contingentes causas ad eos preparavit.* Idem repetit qu. 22. art. 4. Quæstione verò 23. art. 6. pro concordia prædestinationis diuinæ cum libertate prædestinati, remittit lectorem ad doctrinam datam in iisdem illis duobus locis. Cui nihilominus doctrinæ superaddit in eadem quæst. 23. art. 2. prædestinationem non esse aliquid in prædestinato, sed in prædestinante tantum, quod est valdè observandum. Quia si prædestinatio diuina poneret in prædestinato aliquid ipsi intrinsicè inherens, simulque connexum essentialiter, ac determinatè cum actibus prædestinati, non minus, quam cum iisdem connectitur ipsa prædestinatio, tolleretur proculdubio contingentiam, & defectibilitatem causarum proximarum; & perperam ad istam contingentiam, & defectibilitatem vnicè recurrisset vbique D. Thomas pro tuenda libertate, ac indifferentia electionum humanarum. Posito enim aliquo intrinsicè præiudicio essentialiter determinato, ac determinante indefectibiliter ad vnam partem, non subsisteret amplius ea contingentia, & defectibilitas causarum proximarum, sed eo ipso redderetur infallibilis, & indefectibilis, sicut est infallibilis, &

indefectibilis ipsa prædestinatio intra Deum existens, & nobis extrinseca, à qua contradistinguitur per D. Thomam contingentia, & defectibilitas ex parte nostra. Id quod expressè obseruat idem D. Thomas de Verit. q. 22. art. 8. dicens. *Deus immutat voluntatem dupliciter: vno modo, quando voluntatem mouet ad aliquid volendum sine hoc, quod formam aliquam imprimat voluntati, &c.* atque hunc solum modum approbat pro explicatione, & indemnitate nostræ libertatis. Idem discrimen eorum, quæ sunt intrinsicæ, & eorum, quæ sunt extrinseca nobis, colligitur apertè ex testimonio paulò prius indicatis, quod voluntati æternæ Dei prædestinantis resisti non possit; & ex Tridentino, ac Senonensi definientibus; quod auxiliis gratiæ Dei datis in tempore dissentire, & resistere possimus. Quod discrimen subsistere non posset, nisi discrimen ponderatum ex D. Thoma, quoad extrinseca, & intrinsicæ nobis, illa indefectibilia, ista defectibilia, verissimum esset. Dicendum igitur est cum D. Thoma, idè infallibilitatem præscientiæ, prouidentia, prædestinationis, & prædefinitionis diuinæ non tollere indifferentiam arbitrij creati; quia omnia nihilominus, quæ in tempore prouidentur eidem arbitrio, atque immituntur à Deo, sunt ex se indifferentia ad vtrumlibet, & defectibilia secundum se; atque ea, quæ sunt extrinseca alicui causæ, non possunt per se præcisè, eam immutare, & tollere modum operandi conuenientem eidem secundum se, & ex sua natura.

Art. 10. Ex ista doctrina D. Thomæ; quæ est procul dubio verissima, & solida, ac lumine necessaria pro concordia præsentī, clarè apparet indifferentia arbitrij creati, & contingentia electionum eius, non obstante infallibilitate actuum diuinæ prouidentia. Quia vltima species, & determinatio effectus sequitur conditionem, naturam, & dispositionem intrinsicam causæ proximæ, & particularis. A qua videlicet modificatur, & determinatur causa remota, siue vniuersalis quoad speciem, & modum particularem effectuum. Nondum tamen apparet infallibilitas effectus specie, & numero vltimò determinati sub causa proximè indifferenti, & quidem indifferentia vltimò completa ad vtrumlibet oppositorum, atque adeò ad dandum, & impediendum esse talis effectus. Imò videtur hanc indifferentiam ad vtrumlibet oppositorum omnino repugnare illi infallibilitati alterius ex oppositis determinatè. Infallibile enim est, cuius oppositum esse non potest; liberum verò, & contingens, cuius oppositum esse potest. Augetur difficultas ex D. Thoma dicente quæst. 25. art. 5. ad 1. *Fieri non posse, quæ non præseruierit Deus, & præordinauerit se facturum. Quia ipsam facere subiaceret præscientiæ, & præordinationi eius.* Ergo oppositum eius, quod Deus præsciuit, & præordinauit de facto; idè, oppositum eius, quod fit de facto, nequaquam fieri potest. Ergo nulla nobis inest indifferentia, nullaque potentia, vt fiat vtrumlibet oppositorum; vel certè non datur in Deo prouidentia infallibilis infallibilitate practica, & cautatiua alterius partis determinatè sumptæ.

Art. 11. D. Thomas, vt soluat istam difficultatem, dicit in omnibus locis paulò prius indicatis, quod est scitum, volitum, & præordinatum à Deo, ex hoc præcisè esse necessarium tantum conditionatè, & ex suppositione, quatenus necesse est, aliquid esse ex suppositione; seu sub hac conditione, quod sit scitum, aut volitum, ac præordinatum à Deo; sicut necesse est vnum quodlibet esse ex suppositione, quod iam est, seu sub hac conditione, quod iam sit. Ceterum non propterea esse necessarium absolutè. Quia videlicet non est absolutè necessarium, quod Deus sci-

uerit,

nerit, aut voluerit, ac praordinauerit eam determinate partem, quae de facto praescita, aut volita, ac praordinata est. Sed fieri absolute potuit, ut daretur in Deo opposita, circa actum nostrum, & scientia, & volitio, atque praordinatio. Quod quidem ita accipiendum est, ut non soli Deo sit liberum, solaque eius potentia, & libera electione fieri potuerit, ut daretur opposita ipsius scientia, & praordinatio: sed etiam sit hoc ipsum liberum nobis, atque in nostra potestate, & electione aliquatenus positum.

Art. 12. Sicut enim propositio conditionalis necessaria reddit materiam sibi subiectam absolute necessariam, seu est conuertibilis cum absoluta necessitate eius, si conditio sit similiter necessaria, siue aliquotum proxima, siue remota ea sit, ut observat optimè D. Thomas quaest. 14. art. 13. ad 2. ita etiam propositio conditionalis necessaria reddit materiam sibi subiectam omnino necessariam, & minimè liberam; seu est conuertibilis cum necessitate eius, & non libertate, respectu eius, cui non est libera, sed omnino necessaria conditio appositae. Quia enim haec conditionalis est necessaria, *Si Petrus currit, mouetur: Si Petrus existit, est alicubi, & aliquando*: cui non est liber cursus Petri, eo ipso non est eidem liber motus Petri, & cui non est libera existentia Petri, eo ipso non est liberum, quod Petrus sit alicubi, & aliquando. Cum ergo haec conditionalis: *Si Deus scit, aut vult, ac praordinat Petrum bene operari hic, & nunc, Petrus bene operatur hic, & nunc*: sit non minùs necessaria. Necessarium utique omnino, ac minimè liberum foret, respectu Petri, ipsum bene operari hic, & nunc; nisi esset aliquatenus liberum, ac minimè necessarium, respectu eiusdem, quod datur in Deo haec determinate scientia, aut haec voluntas, ac praordinatio potius, quam opposita. Ne igitur perperam tradita sit à D. Thoma doctrina illa de necessitate conditionata, & ex suppositione, accipienda procul dubio est de necessitate sub conditione, & ex suppositione, quae conditio, & suppositio sit aliquo modo impedibilis ab homine, eidemque aliquatenus libera.

Art. 13. Quod quidem, quoad scientiam Dei attingit, non obscure agnoscit, ac docet D. Thomas in eadem illa responsione ad 2. Quia necessariam veritatem huius principij, *Si Deus scit aliquid, illud erit*, reuocat in veritatem notissimi illius principij, *omne quod est, dum est, necesse est esse*, & utrumque principium, necnon necessariam utriusque veritatem vsurpat tanquam conuertibilia, eiusdemque prorsus rationis. Cum ergo actus humani sint liberi homini, atque impedibiles ab eodem absolute; patet scientiam quoque Dei circa eosdem, esse aliquatenus impedibilem ab eodem quominus datur à parte rei absolute. Quia verò scientia visionis Dei, circa aliquod obiectum, non aliter impediri potest, quam impedita voluntate efficaci eiusdem circa idem; patet voluntatem quoque efficacem Dei, circa actus humanos, esse aliquatenus impedibilem absolute ab homine. Rursum, quia voluntas, & electio Dei efficax, circa aliquod obiectum, non aliter impediri potest, quam inducta ineligibilitate proxima talis obiecti secundum se, quatenus Deus inimpedibiliter decernit, ac eligit, ut sibi placet, circa omnia proximè ex se eligibilia honestè, necesse similiter est fateri, humana libertate induci posse ineligibilitatem aliquam proximam, respectu Dei, circa actus humanos. Quae proximè ineligibilitas antecedit prioritatem virtuali intrinseca omnè liberam determinationem Dei circa eosdem actus.

Art. 14. Inducitur autem à nobis eiusmodi ineligibilitas, respectu Dei, inducta scientia media, perquam videlicet habitam independentem ab omni sua

libera electione, quatenus sibi libera, cognoscit Deus, de singulis auxiliis gratiae suae contentis in tota collectione auxiliorum absolute possibilem, quem determinatè exitum sit habiturum vnumquodque eorum, si ponatur à parte rei, iuxta dicta supra qu. 18. Quia verò impossibile est, ut in tota collectione auxiliorum gratiae Dei non appareat aliquod futurum efficax, & aliquod aliud futurum inefficax, respectu cuiusvis, & hominis, & operis, uti notatum est supra circa libertatem Dei ad praedestinandum, & reprobandum; impossibile utique est, ut non suppetat Deo auxilium, quo dato subsequatur infallibiliter, in quolibet indiuiduo rationali, quaelibet species operis pro qualibet temporis differentia. Rursum, quia tota collectio auxiliorum gratiae Dei sumpta collectivè nulli vnquam conferri potest, sed quod vnumquodvis seorsim conferatur, necesse est; atque quodlibet auxilium proprium hominis viatoris est secundum se, & ex sua praecise natura frustrabile, completumque causae contingentis, ac defectibilis, ut innotuit paulò prius ex D. Thoma: apparet clarè, infallibilitatem metaphysicam euentus determinat, prout à Deo praesciti, & praesententi, aut permissi, nihil nocere indifferentiae arbitrij creati simpliciter antecedenti ad vtrumlibet oppositorum. Quia ea infallibilitas constituitur adequatè per aliquod extrinsecum homini, & absolute impedibile ab eodem, impedita ea scientia media determinatè, quae datur de facto, & à qua dependet electio Dei efficax, & scientia visionis existens de facto. Libertas autem, & indifferentia arbitrij creati tolli non potest formaliter per aliquid eidem extrinsecum, qualecunque illud sit, dummodò sit impedibile ab eodem. Pater igitur beneficio scientiae mediae optimè coherere inter se infallibilitatem scientiae visionis, providentiae, praedestinationis, ac reprobationis diuinæ; & indifferentiam proximam, atque defectibilitatem arbitrij creati pro vnaqualibet opportunitate operandi; neque impediri diuinam, respectu nostrae praedestinationis, & reprobationis, libertatem, nostram, respectu earundem, libertatem, ac indifferentiam aliqualem, aut è contra. Ista ratione concordiae, ex praerogative congruitatis, vel incongruitatis conuenientis vnicuique auxilio, vsus est Augustinus, tum alibi, tum maxime lib. 1. ad Simplic. quaest. 2. paulò ante medium, dum dicit. *Illud autem nescio, quo modo dicatur, frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim miseretur, etiam volumus. Ad eam quippè misericordiam pertinet, ut velimus.* Et rursum paulò inferius, *Nullius Deus frustra miseretur.* In quibus apparet clarè infallibilis, ac insuperabilis efficacia diuinæ voluntatis, circa actus nostros. Ratio enim verò eius efficaciae haec immediate subiungitur. *Cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Vbi cum aequali claritate adstruitur illa infallibilitas vocationis dependens à praescientia congruitatis, ut ponatur congruens indifferentiae arbitrij creati.

Art. 15. Ex his ulterius deprehenditur, quanta, & qualis libertas, atque indifferentia conueniat, tum Deo, tum nobis, in negotio praedestinationis, quoad finem, & media ipsius. Apparet namque Deo esse liberam absolute, & simpliciter praedestinationem cuiusvis substantiae rationalis, quoad finem, & quoad omnia, & singula media ipsius; & tantum secundum quid esse non liberam eidem: homini verò esse liberam tantum secundum quid, & ex suppositione, immediate quidem quoad actus salutares, mediatè verò quoad ea, quae cum iisdem actibus connectuntur determinatè. Ratio prioris partis deducitur facile. Quia Deo conuenit in primis potestas omnino libera

libera negatiue, non solum, quatenus potest neminem creare, atque ita neminem predestinare; sed etiam quia posita creatione, adhuc sunt indebita, ex natura rei, tum singulis, tum toti hominum collectioni, auxilia gratiæ, omniaque media conducentia positiue ad visionem beatam, idèque illis omnibus hæc omnia sunt negabilia ex natura rei, vt liquet ex quæst. 10. Deinde facta suppositione elevationis generis humani in eum finem; non solum eadem libertate, qua Deus eam suppositionem inducit, confert omnibus auxilia sufficientia ad consequentem vitam æternam, data illis vniuersaliter potestate filios Dei fieri; sed insuper est liber libertate speciali, vt quibuscumque voluerit, conferat, & quibuscumque voluerit, neget auxilia efficacia ad omne genus operum salutarium; & ad perseverantiam finalem; idèst, vt conferat, vel neget vnicuique liberè actum primum, vt coniunctum cum actu secundo, & media remota, vt coniuncta cum mediis proximis inductiuis vitæ æternæ, cumque ipsa vita æterna. Neque per vllam libertatem creatam impediri potest, quominus hæc omnia vnicuique conferat, vel non conferat pro libito, propter obseruatam supra impossibilitatem metaphysicam vniuersalem, aut frustrationis, aut efficaciam totius collectionis auxiliorum gratiæ in præuisione diuinæ directricis Diuinæ prouidentia circa vnamquamque substantiam rationalem; idèque relinquentem liberam absolutè, & proximè expeditam diuinam auxilij efficacis, vel inefficacis electionem, respectu cuiuslibet pro qualibet differentia temporis, & ad quodlibet operum genus.

Art. 16. Altera pars, de eadem predestinatione libera homini, & non libera Deo, tantum secundum quid, & ex suppositione, ex eo facile concluditur. Quia non est liberum homini, vt habeat talem determinatè actum primum proximum libertatis, vtque constituatur in talibus determinatè circumstantiis, ex parte obiecti, & ex parte subiecti, antecedentibus suam liberam electionem, & non connexis cum eadem determinatè sumpta. In summa non est liberum homini, vt sibi conferatur auxilium præuisum fore efficax potius, quam præuisum fore inefficax, si conferretur: Solum itaque est homini liberum, ex suppositione, quod iam est constitutus in his determinatis circumstantiis, & donatus hoc determinato actu primo proximo libertatis inherente sibi intrinsecè. Solum, inquam, est homini liberum ex hac suppositione, vt bene, vel malè operetur, dissentiat, vel non dissentiat huic Dei gratiæ determinatè sumptæ; & consequenter, vt eandem gratiam determinatè sumptam, vel in vacuum, vel vtiliter receperit, vtque vtrumvis horum præscierit Deus, atque præordinauerit sub eodem actu primo proximo determinatè sumpto. Nempe reliqua eueniunt absque hominis libertate, vt patet ex nuper dictis. Idem euentus, atque in alterutram partem determinatio, ex eadem suppositione, non est formaliter, & seorsim libera Deo libertate eatenus speciali, sicut non est eidem libera nona seorsim libertate, vt posita tali determinatè causa secunda necessaria vltimò completa, sequatur effectus huius potius speciei, quam alterius determinatè. Nempe causa secunda intrinsecè libera, ex suppositione, quod iam sit, in ratione talis, vltimò completa, inducit actum talis determinatè speciei ex propria electione, vt sibi libet, sicut causa secunda necessaria similiter vltimò completa inducit, ex sua natura effectum talis determinatè speciei. Quapropter vtrouique vniuersaliter deest Deo specialis seorsim libertas, quoad speciem determinatam actus secundi, ex suppositione actus primi proximi adæquatè sumpti, solumque habet libertatem perfectam quidem,

& absolutè immediatam, sed indiuiduam, ad vtrumque simul ponendum, vel non ponendum à parte rei. Patet igitur ex his omnibus, quæ dicta sunt, predestinationem, & reprobationem esse liberam, tum aliquatenus, & secundum quid nobis, tum maxime, & absolutè Deo; & quanta, & qualis sit, seu quatenus se extendat, & quo modo libertas vtriusque.

Ad 1. Vt Deus iuste conqueratur de iis, qui peccant, & pereunt, sufficit liberum ipsis esse bene operari, obseruare legem, & saluari per ea determinatè auxilia gratiæ, quæ conferuntur ipsis de facto; eodemque peccatis suis impediuisse Deum, quominus eadem auxilia, quæ contulit de facto decreto permisso peccatorum, & reprobatio, conferret per decretum prædefinitiuum bonorum operum, & prædefinitiuum ad gloriam, ad quæ opera, & operum finem vocabant, ac impellebant eadem auxilia, quantum est ex se, & ex voluntate Dei antecedenti. Quia verò huiusmodi auxilia sic frustrata per obstinationem accipientium, proueniunt ex meritis, & sanguine Christi, quibus nihil maius ordinari potuit in salutem hominum, propterea dicitur fortitudo Christi Domini sine causa, & vanè consumpta esse, quoad tales homines; tamen Deus absolutè potuerit eos perducere ad vitam æternam adhibitis alijs auxilijs, & circumstantijs, quæ occulto, sed iusto suo iudicio subtraxit.

Art. 17. Repugnat Deo omne decretum liberum antecedens, aut non subsequens scientiam mediam. Quia directio huius scientiæ pertinet ad perfectionem prouidentia Dei, & nulli determinationi libera diuinæ deesse potest vlla directionis perfectio absolutè possibilis; nec fieri potest, vt Deus determinet, seu eligat aliquid, nisi præhabens cognitionem adæquatam omnium, & singulorum proximè eligibilium, & comparabilium mutuo per suam electionem decretoriam, vt semel, atque iterum notatum est supra, & apparet specialiter ex dictis q. 27. Deinde scientia media, cum habeatur à Deo absque vlla sua libertate, & electione, est intrinsecè indifferens ad quodlibet decretum diuinum compossibile cum ipsa, & ad eius oppositum. Hæc autem indifferentia, si quidem est realiter identificata cum diuinitate, idèque est summè, ac infinite perfecta in omni genere, nequit esse indifferentia purè physica, sed necessariò est electiua, & propria agentis liberi, vt etiam notatum est supra. Nequit igitur dari in Deo vlla electio libera, non præsupponens virtualitè intrinsecè scientiam mediam cum indifferentia electiua, respectu sui, ad eum modum, quo relationes Dei ad intra, propter eandem solam realem identitatem cum diuinitate, sunt electiue, & causatiue omnium absolutè eligibilium, & causabilium. Denique Deus cognoscit, per scientiam mediam, quid actura sit causa secunda, ex se, libera; si non impediatur ab ipso, nec restringatur ad alteram partem determinatè, restrictione simpliciter antecedenti. Corruptitur autem istud obiectum per decretum simpliciter antecedens prædefinitiuum actus boni, & repugnans permissioni actus mali. Quia eo ipso præsupponitur omnipotentia Dei restricta ad vnam partem, & iam impotens proximè, vt cooperetur ad partem oppositam, idque præscindendo adhuc ab electione, & determinatione causæ secundæ, & auferendo eidem totaliter potestatem ad impediendam talem suppositionem. Vnde nullus relinquitur locus scientiæ mediæ, præexistente, vel etiam purè concomitante eiusmodi decreto.

Art. 2. Negandum igitur est, posse Deum, ex vi solius scientiæ simplicis intelligentiæ, concipere decretum vagum simpliciter antecedens, & omnino
inim

inimpedibile à libero arbitrio creato, de conferendo aliquo auxilio efficaci, nulloque conferendo inefficaci. Solum namque potest, praesupposita simul scientia media, velle conferre, vel tale determinatè auxilium efficax, vel tale determinatè inefficax. Quia verò tam efficacia, quam inefficacia cuiusvis auxilij ordinarij gratiae Dei, determinatè sumpti potest impediri per liberum arbitrium creatum, iuxta dicta supra, patet impediri ab eodem absolute posse quodvis eiusmodi decretum Dei, seu praedestinatum, seu permissum existens de facto; licet tota collectio, seu praedestinationum, seu permissuum Dei à nemine impediri possit, nec fieri, ut electio Dei non cadat in alterutram collectionem pro libito ipsius, ut patet ex dictis supra.

Ad 3. Duplici ratione dicitur Deus solus discernere iustum ab iniusto, & praedestinatum à reprobo, atque istam discretionem esse Dei misericordis, potius quam hominis currentis, vel etiam non esse hominis currentis. Primò, quia ea discretio provenit à Deo, & à misericordia Divina, tamquam à praeligente misericorditer antè omnem electionem, voluntatem, & concursum creatum; atque haec omnis electio, voluntas, & concursus ab illa praeelectione, & misericordia praevia descendit; eademque est ratio, suo modo, de permissione peccatorum, & de peccatis; quamquam istud, *suo modo*; multum discriminis contineat absolute, quoad alia. Secundò; quia Deus discernit, tamquam conferens, & actum primum, & actum secundum discretionis, ideoque tamquam conferens totum, nempe, & possibilitatem, & actualitatem discretionis. *Deus enim, & praeprae voluntatem, & adiuvat praeprae*, ut dicit Augustinus, de cuius mente, & doctrina circa hoc punctum videri possunt plura in quaest. 18. de Gratia, praefertim ad 3. Neutrum autem ex his duobus cadit in voluntatem creatam, vel formaliter, vel aequivalenter. Vnde de nulla sua prerogativa, & excessu conducenti in vitam aeternam gloriari potest homo, tanquam de re non accepta, nisi gloriari velit de malitia peccatorum, quae conducit ad mortem aeternam: neque quidquam tribuere potest conatibus suis comparatione misericordiae Dei, tanquam haec ab illis proveniret, & non magis è conuerso. Atque haec est intentio illorum trium textuum. Caterum gloriari in Domino potest, qui bene operatur, & saluatur; quia liberè cooperatus est Deo, & quia non impedivit, cum posset, praedestinationem sui boni operis, & diuinam sui praeelectionem ad gloriam; idest, quia non est transgressus, cum transgredi potuisset, sub ea determinata auxiliorum, & circumstantiarum serie, cui de facto subest. De hoc enim laudatur iustus in Evangelio; & qui praecepit, *qui gloriatur, in Domino gloriatur*, non omninò prohibuit gloriationem, sed modum eius praescripsit; atque praescriptio modi non tollit substantiam, sed asserit. Qui autem nullam habet omninò libertatem in aliquo opere, aut euentu; nullo modo gloriari de illo potest, neque in Domino, neque independentè à Domino.

Ad 4. Scientia, & voluntas Dei non transeunt vnquam in praeteritum. Quia mensurantur aeternitate, ideoque semper, & quandolibet sunt in actuali egressu, seu quasi egressu, ut dicit D. Thomas vbi supra. Quapropter sicut corporalis visio cursus Petri, pro instanti determinato, potest impediri, impedito pro tunc, cursu Petri: Ita scientia Dei aeterna de nostris actibus potest impediri, impeditis iisdem actibus pro quavis temporis differentia respectu. Quia videlicet scientia Dei pro heri, & hodie, & sic de aliis differentis, est eadem, & entitate, & duratione. Quia in re non omnibus est facile sicut, est necessarium

R.P. Esparza. Curs. Theol. Tom. I.

omnibus, eleuare intellectum à consideratione temporis, & temporalium, vsque adè agnata humanae naturae, ad considerationem aeternitatis, & visionis essentialiter aeternae, iuxta dicta supra qu. 17. Idem dicitur, suo modo, de diuina voluntate, quatenus praedeterminata nostrorum actuum, & praedeterminata hominis; utpote praesupponente essentialiter scientiam mediam, quae est impedibilis à libero arbitrio. Cuiusmodi connexio, & dependentia dari non potest inter victoriam Alexandri, & robur exercitus nunc existentis. Quae videlicet sunt vtriusque temporalia, & physica, ideoque affixa temporis omnibus modis.

Ad 5. Verum est, quod est alicui liberum, quatenus est ipsi liberum, esse impedibile ab eodem. Verum rursus est, non posse Deum impediri absolute ab homine, quominus eum praedestinet, vel reprobet pro libito, atque hoc solum intendit eo in loco Augustinus. Impedire nihilominus potest quilibet homo, quominus praedestinetur, aut reprobetur à Deo per ea determinatè auxilia gratiae, quae ipsi conferuntur de facto. Quia liberum ei est, ut illis cooperetur, vel non cooperetur; atque ita saluetur, vel reprobetur. Hoc autem sufficit ad saluandam libertatem creatam. Quae, videlicet, impediri à Deo minime potest, quominus erumpat in vtrumlibet ex illis extremis, facta suppositione talis determinatè actus primi adaequatè sumpti. Patet igitur nullam sequi contradictionem ex libertate diuina coniuncta cum libertate creatà, quoad easdem operationes, eandemve operationem. Quia libertas, & inimpedibilitas Dei ad praedestinationem, & reprobationem, & ad effectus vtriusque, est absoluta, & non post factam eam suppositionem: libertas verò, & inimpedibilitas creatà, est è conuerso, ex suppositione tantum: vel aliter, libertas Dei, & inimpedibilitas est respectu actus primi, & actus secundi simul, ac indiuisim: libertas verò, & inimpedibilitas creatà est respectu actus secundi leorsim, & directè, ut expositum est supra. Vnde patet praedicata illa opposita, respectu libertatis diuinae, & creatae, non esse secundum idem, & ex eadem suppositione.

Art. 1. Ad 6. Determinatio praeuia causa primae ad vnā partem contradictionis, & contrarietatis, extrinseca homini, & impedibilis ab ipso homine, non tollit, quominus homo operetur liberè. Determinatio autem Dei ad vnā partem, ex vi praedestinationis bonorum operum, & praedestinationis ad gloriam, est extrinseca homini, ut patet, & non ponit in homine aliquid similiter determinatum intrinsecè ad vnā partem, tenens se ex parte actus primi, ut notatum est supra ex D. Thoma. Et praeterea eadem determinatio Dei ad vnā partem sub talibus determinatè auxiliis, iis scilicet, quae conferuntur de facto, est impedibilis ab homine; quia est impedibilis ab ipso scientia media efficaciae eorum determinatè auxiliorum, quae sibi conferuntur de facto, atque ab hac scientia media dependent praedeterminatio boni operis, & praedeterminatio ad gloriam per ea determinatè auxilia, per quae de facto mandantur executioni bona opera, & consequuntur gloriae, quae omnia patent ex dictis supra.

Art. 2. Neque obstat, bona opera nostra, & consequuntur gloriae, ut coronae, etiam pro statu conditionato, essentialiter subesse praedestinationi, & praedestinationi diuinae; atque per scientiam mediam cognosci, quatenus dependentia ab auxiliis gratiae, & concursu vniuersali immediato Dei, ut exhibendis per eandem praedestinationem, & praedestinationem. Non obstat, inquam; quia praedeterminatio, & praedeterminatio Dei non cognoscuntur per scientiam mediam cum

L 2

futuri

futuritione conditionata, quatenus libera Deo, sed quatenus proueniente ab electione libera creata. Deus enim cognoscit per scientiam mediam hunc actum primum creatum libertatis, ex. gr. qui de facto collatus est D. Petro, vel esse ponendum à se parte rei per decretum prædeterminatum boni operis, vel nullatenus ponendum esse à parte rei; neque oppositum esse sibi proximè liberum. Idem dicitur proportionaliter de permissione peccati, respectu actus primi ex. gr. in hærentis Iudæ, cum concepit propositum proditorium; deque prædestinatione, & reprobatione comparata cum actu primo creato ad perseverantiam finalem, & ad finalem impenitentiam.

Art. 3. Itaque determinatio Dei ad prædeterminationem, vel permissionem; ad suum concursum immediatum respectu, vel boni operis, vel materialis peccati; ad prædestinationem, vel reprobationem, pro nullo statu ponit intrinsicè in nobis aliquid præuium insuperabiliter determinans nos ex sua natura ad unam partem contradictionis, aut contrarietatis determinatè sumptam; nec eadem Dei determinatio est, aut independens à nostra libera electione, aut formaliter libera Deo ex suppositione actus primi proximi creati. Pro nullo igitur statu, siue absoluto, siue conditionato, quidquam obest nostræ libertati, & indifferentiæ eadem præuia determinatio Dei ad alteram partem determinatè sumptam. Oportet relegere circa hoc, quæ dicta sunt quæst. 18. præsertim ab art. 16.

Art. 1. Ad 7. Prædestinatus non potest damnari, nec saluari reprobis, in sensu composito prædestinationis, & reprobationis; potest tamen in sensu diuiso. Ad eum utriusque modum, quo potest, & non potest peccare iustus; amans, odio habere; stare, qui sedet. Sicut enim componi non potest statio cum sessione; odium cum amore; peccatum cum gratia, ita non potest componi damnatio cum prædestinatione, neque saluatio cum reprobatione. Cæterum, sicut, qui est iustus, potest peccando excludere à se iustitiam, & gratiam habitualement, & qui amat, potest excludere à se amorem per odium; & similiter sessionem per stationem, qui sedet: ita qui est prædestinatus, potest peccando impedire prædestinationem, & qui est reprobis, potest vitando peccata impedire reprobationem. Atque hoc est, quod significatur, dum dicitur, prædestinatum posse peccare, & damnari in sensu diuiso, & è contra, de reprobo.

Art. 2. Hinc patet ad confirmationem. Si enim prædestinatus damnaretur in sensu composito prædestinationis, redderetur utriusque falsa scientia Dei, & frustraretur voluntas diuina efficax. Et similiter, si prædestinatus posset damnari in sensu composito prædestinationis, posset utriusque falsificari scientia Dei, & frustrari voluntas eius efficax. Neutrum tamen sequitur ex damnatione, aut possibilitate damnationis prædestinati in sensu diuiso prædestinationis. Solum enim sequitur, quod non daretur in Deo, aut quod poterit non dari in Deo prædestinatio, seu ea præscientia, eaque voluntas efficax Dei, quæ datur de facto, respectu eius qui saluatur de facto, sed daretur opposita, & scientia, & voluntas. Quapropter potentia prædestinati ad peccandum, & moriendum in peccato, non est potentia ad frustrandam prædestinationem diuinam, quæ datur de facto, neque ad impediendam absolutè omnem diuinam prædestinationem sui per quamlibet indiscriminatam seriem auxiliorum intrinsicè indifferentium ad peccatum, & ad impenitentiam finalem: sed solum est potentia ad impediendam prædestinationem sui per ea determinatè auxilia, & media, per quæ de facto perducitur in vitam æternam, & ad faciendum, ut eadem auxilia

vel omnino non conferrentur sibi, vel conferrentur per decretum permissum peccati, & reprobatiuum peccantis.

Art. 3. Ista disjunctio non conferendi omnino, vel conferendi per tale determinatè decretum, debet diligenter aduerti. Quia decretum diuinum collatum auxiliorum gratiæ, & scientia media, qua dirigitur istud decretum, pertinent ad actum primum remotum, ac mediatum nostræ operationis; & nostra operatio simul cum actu primo nobis intrinseco dependet ab illis, tanquam effectus à causa. Absurdum autem est, causam aliquam esse impedibilem, aut impediri de facto per existentiam, & actionem sui effectus, atque huiusmodi potestatem conuenire determinatè alicui effectui, respectu suæ causæ. Absurdum tamen non est, quod causa secunda, & proxima inducat necessitatem vagam, ac indeterminatam, ut causa prima, vniuersalis, ac mediata, vel non ponat à parte rei talem causam secundam, vel ponat simul cum tali determinato effectu, seu per decretum efficaciter intentionum indiuisum talis determinati effectus, ut processuri ab eadem causa secunda, & non per decretum efficaciter intentionum, aut permissum effectus oppositi. Imò est hoc ab omnibus necessario, admittendum. Quia quælibet causa secunda necessaria coniicit Deum in huiusmodi necessitatem disjunctiuam, & vagam, ut semel atque iterum notatum est supra. Vnde scientia simplicis intelligentiæ, quatenus est perfectè comprehensua quidditatis, & virium causæ secundæ necessariæ, per se ipsam formaliter est talis necessitas disjunctiua; idest, est constitutiua perfectissimæ libertatis diuinæ non inuertiens naturas rerum, sed prouidentis singulis, prout congruit vniuersi cuiusque nature, iuxta dicta quæst. 28. Quidni igitur simile quid præster causa secunda libera, mediante scientia media? quandoquidem causa libera determinat se, & sua comprincipia per suam electionem, sicut causa necessaria determinat se, & sua comprincipia per naturam suam, atque ideo illa per scientiam mediam, sicut ista per scientiam simplicis intelligentiæ.

Art. 4. Itaque scientia media, qua Deus cognoscit euentum vniuersi cuiusque auxilij, & actus primi proximi libertatis creatæ, inducit in Deum, vel potius se ipsa formaliter constituit necessitatem; disjunctiuam, & vagam, ut tale auxilium, & talis actus primus proximus libertatis creatæ, vel omnino non ponatur à parte rei, vel ponatur per decretum, seu intentionum, seu permissum talis determinatè actus secundi, & non oppositi. Quæ necessitas est indistincta à perfectissima libertate diuinæ prouidentie, qualis congruit causæ secundæ liberæ, & retinet exactam proportionem cum prouidentia, quæ congruit, & ex confessione omnium, datur in Deo, respectu causæ secundæ necessariæ. Quia verò scientia media procedit à libero arbitrio creato, prout existente, & operante intentionaliter prius, quam existat in se intrinsicè, & operetur physicè, uti exposuit in dicta quæst. 18. art. 14. Et quia præterea eadem scientia media est essentialiter vera, & conformis operationi exercendæ à libero arbitrio creato, casu, quo ipsum ponatur à parte rei, atque eidem libero arbitrio est eatenus essentialiter attemperata, ut ibidem dictum est. Quia, inquam, hæc ita se habent, nullum est inconueniens, quod scientia media, & decretum diuinum per eam directum, à quibus dependet, in genere causæ efficientis, liberum arbitrium creatum simul cum cæteris prærequisitis ad operandum, dependant nihilominus, in genere determinantis, ac præeligentis modo dicto, ab ipso libero arbitrio creato simul cum cæteris prærequisitis complementibus illud intrinsicè

in

in actu primo proximo. Concluditur ergo Deum esse perfecte liberum absolute ad conferendum, vel non conferendum quemlibet actum primum, & secundum libertatis; non vero, ut praedestinet per quemlibet actum primum, seu per quodlibet auxilium, & quolibet eius circumstantias; sed hoc pendere à libertate etiam creata.

Ad 8. Iam iterum obseruatum est ex dictis qu. 8. ad 4. & tota quaest. 17. nulli rei creatae conuenire rationem futuri, respectu scientiae diuinæ secundum se, neque huic secundum se, & secundum aliquam suam durationem conuenire rationem praeteriti, respectu illius rei creatae. Quapropter scientia Dei, de nostra operatione hodierna existens heri, perinde est impedibilis hodie per omissionem operationis nostrae hodiernae, modo nuper explicato, atque si existeret tantum hodie, & inciperet esse, cum incipit esse nostra operatio libera; & sicut est impedibilis visio creata curius Petri, impedito cursu Petri. Idem dicitur de veritate hesternae, & de futuritione nostri operis, utpotè indistincta à scientia Dei; nec non de reuelationibus tempore prioribus, utpotè pendentibus essentialiter à scientia Dei, ideoque impediendis indirecte, impedita directe scientia Dei.

Ad 9. Dicendum est, sicut ad praecedentia, despectum, seu reprobationem à Deo, à nemine corrigi posse in sensu composito despectus, & reprobationis; posse vero absolute, & in sensu diuiso: atque illi testimonio Ecclesiasti. subesse priorem sensum, sicut subest prima Ioann. 3. 9. dum dicitur. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit.* Et rursus: *& non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.*

Art. 1. Ad 10. Si Deus non haberet scientiam mediam; non posset eadem velle exequi, quae vult, & exequitur de facto. Quia non posset velle efficaciter, & determinate operationes nostras liberas, nec ad eas influere ex vi suae voluntatis applicantis efficaciter suam omnipotentiam ad eas determinate operationes liberas, quibus nos exercemur de facto. Sed, vel induceret necessitatem simpliciter antecedentem in omnes vniuersaliter causas secundas, omnesque ipsarum operationes; vel operationes liberae substantiarum rationalium, haec potius, quam illa, prouenerent comparatione Dei, fortuitò, & à casu, nec Deus posset ad eas immediate cooperari.

Art. 2. In primis enim, quod euenit praeter intentionem, aut permissionem determinatam alicuius, & sine praecognitione eius, quod determinate eueniet ipso volente, aut permitte; eo ipso euenit fortuitò, & à casu, comparatione eius, quoad talem determinationem effectus. Deinde duo agentia libera non possunt conuenire in eandem actionem, eam determinate, aut praetendendo per alium actum, aut aliquando per se ipsam formaliter, absque periculo frustrationis, nisi alterum eorum, vel vtrumque sit praescium electionis faciendae ab altero, si ipsum illi adsit, & cooperetur, quantum est ex se. Quia cum agens liberum sit indifferens ad vtrumlibet oppositorum, & ita determinetur de facto ad vnam partem, ut poruerit determinari ad oppositam; fieri poterit, ut altero agente determinante se ad vnam partem, aut eam praetendente determinatè, alterum nihilominus agens non se determinet ad eandem partem, sed ad oppositam; si neutrum est praescium electionis ab altero faciendae, casu, quo illi non desit sua cooperatio. Separabuntur ergo in actione, cum tamen supponantur esse inseparabilia essentialiter, uti re ipsa est inseparabile agens creatum à cooperatione Dei.

Art. 3. Haec igitur absurda cum sint; atque substantiae rationales creatae, cum suis complementis itidem creatis, & sibi intrinsicis, ita sint indierentes

R. P. Esparza. Curs. Theol. Tom. I.

ad hanc, vel illam actionem suam, ut simul sint essentialiter determinatae ad cooperandum Deo, ut praecipienti illam vel positiue, vel permissiue; patet necessarium esse scientiam mediam ex parte Dei, eiusque praesuppositionem esse essentialem causis secundis liberis ex suo conceptu. Vnde rursus patet, quod praecipue intenditur, nempe esse chymericam suppositionem obiectionis, quod eadem omnia creata existant non praexistente in Deo scientia media. Quapropter falsum est, cognosci à Deo per solam scientiam simplicis intelligentiae omnia possibilia, quoad possibilitatem proximam determinatam ipsorum. Falsum rursus consequenter est, omnia eadem possibilia cognosci, per scientiam simplicis intelligentiae, determinate, quoad possibilitatem proximam, independentem ab eo, quod per eandem scientiam cognoscatur, cum simili determinatione, scientia media, à qua in ratione proximè eligibilium, & inuicem coordinabilium, cetera essentialiter dependent.



QVÆSTIO XXXV.

Vtrum prouidentia Dei sit vniuersaliter benefica erga omnes, etiam peccatores, & reprobos?



IDEVR Prouidentiam Dei erga neminem esse beneficam, ac praesertim erga peccatores, & reprobos minimè censeri posse beneficam absolute, & simpliciter.

1. Quia, qui exponit maiori periculo, quam spei, beneficus esse non potest. Deus autem exponit maiori periculo, quam spei, substantias omnes rationales purè creatas. Quod probatur primò à posteriori. Quia illud est maius periculum, quam spes, quod plerique pertrahit in malum, & ratione cuius longè plures incidunt in ruinam. Sunt autem longè, & incomparabiliter plures, qui de facto incidunt in ruinam, & damnationem, quam qui consequuntur vitam aeternam, ut pluribus, & manifestis sacrae paginae testimoniis, necnon communi Sancti PP. consensu demonstrat Montoya disput. 54. de Praedestinatione sect. 1. 2. & 4. Deinde à priori. Quia bona temporalia, quae pertrahunt ad malum sunt notiora, quam bona aeterna, quae retrahunt à malo, & perditione. Motuum autem, quod est notius, ideoque apprehenditur efficacius, mouet magis voluntatem, ideoque probabilius est electionem casuram esse in eam partem, ad quam illud pertrahit. Ergo est maius periculum, quod imminet ex allicientia bonorum temporalium in malum, quam spes, quae affulget ex allicientia aeternorum bonorum ad summum bonum.

2. Plus malitiae inest peccato lethali, quam inest bonitatis toti collectioni bonorum; quorum est capax substantia rationalis creata. Quia malitia peccati lethalis, ex sententia plurium Theologorum, est simpliciter, & proprie infinita, & ex reliquorum consensu, est prope, seu quodammodo infinita; cum cumulus omnium bonorum, quorum sunt capaces substantiae rationales creatae, sit finitus, & infinite distans à bono simpliciter infinito, & reputetur quasi nihil comparatione eiusdem boni simpliciter infiniti. Ergo licet spes obtinendi bona, quorum sunt capaces substantiae rationales creatae, esset aequalis periculo incidendi in mala, quorum eadem sunt capaces. Imò etiam si spes esset maior, quam periculum; adhuc Deus non esset beneficus erga substantias

L 3 rationa